

& Catechismi, exponi necessitates Parochie, & alia, quae a nullo convenit ignorari.

Dico 2. Secluso contemptu proprii Parochi, nullus fidelium tenetur ex precepto diebus Dominicis & Festis, etiam solemnioribus, audire Missam in Ecclesia Parochiali; sed precepto satisfacit eam audiendo in Ecclesia Regularium Mendicantium. Ita S. Antonin. 2. p. summæ Theol. t. 9. §. 2. Navarr. in manu. c. 21. n. 5. Sylvester verbo Missa 2. q. 5. Sylvius hic Quæstio 6. Pontas verbo Messe cas. 53. & inumeri alii, tam sæculares, quam regulares.

Prob. 1. autoritate SS. Pontificum Leonis X. Pauli III. S. Pii V. & Clementis VIII. quorum duo posteriores floruerunt post Concilium Trid. cujus auctoritatem in cassum reclamant adversarii. Primus itaque Leo X. in Bulla Intelleximus data 15. Novembris 1517. sic loquitur: Intelleximus, quosdam in dubium revocare, & proinde timoratis conscientis scrupulum incitare, si Christi fideles, qui Dominicis & Festis diebus extrâ Ecclesias suas Parochiales Missas audiant in Ecclesiis Fratrum Ordinum Mendicantium, Ecclesie precepto de Missa audienda satisfaciunt. Nos igitur ambiguitatem hujusmodi penitus tollere volentes, ut cum sinceriori conscientia fideles quique Deo Creatori suo serviant, auctoritate Apostolica, tenore presentium notum facimus omnes Christi fideles utriusque sexus, qui, non contempto proprio Sacerdote parochiali, in Ecclesiis Fratrum Ordinum Mendicantium Dominicis & Festis diebus Missas audiant, satisfacere precepto Ecclesie de Missa audienda, nec in aliquam labem mortalis peccati vel penam incurrere: in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Paulus III. in Constitutione edita ann. 1549. sic loquitur: Christi fideles, cujuscumque conditionis existant, qui verbi Dei concionibus, seu prædicationibus sociorum, seu Fratrum Societatis Jesu in Ecclesiis, ubi ipsi concionantur, interfuerint diebus hujusmodi Missas & alia Divina Officia audire & Ecclesiastica Sacramenta ibidem recipere libere & licite valeant; nec ad id ad proprias parochiales Ecclesias accedere teneantur. Et ne forte dicas, his Constitutionibus fuisse derogatum per Concilium Trid. audi Pontificis Concilio posteriores. S. Pius V. Bulla Etsi Mendicantium. 41. data 16. Maii 1567. quarto anno post absolutum Concil. Trid. sic decernit §. 1. n. 8. Sessionis 22. Decretum, quod populum sæpe ad suas Ecclesias, saltem Dominicis & majoribus Festis diebus, convenire debere monet, insequendo (audis insequendo, non contradicendo) volumus, quod Fratres Mendicantes hujusmodi non solum prohiberi non possit, ne Missas & alia Divina Officia faciant in eorum Ecclesiis; verum etiam... quicumque utriusque sexus Christi fideles totius anni tempore illas & illa (Missas & Divina Officia) in Ecclesiis Fratrum hujusmodi audire possunt. Ipsi Christi fideles ullatenus desuper molestari, aut impediri per locorum Ordinarios suos, Rectores Parochialium Ecclesiarum, aut alios quoscumque, ullo pacto, causa, vel occasione, non valeant sen debeant; sed præfati Christi fideles audiendo Missas & alia Divina Officia in Ecclesiis Fratrum hujusmodi diebus Dominicis & Festis, precepto de illis audiendis satisfecisse censeantur.

At, inquis, hæc Constitutio Plana revocata fuit per aliam Constitutionem Gregorii XIII. quæ incipit: In tantarum rerum: ergo. R. Revocata fuit quantum ad ea dumtaxat, quæ sunt contraria Concilii Trid. decretis, Transeat; multi enim contendunt hanc Gregorii Bullam nunquam fuisse promulgatam, de quo vide Analecta Privileg. pag. 72. & sequent. & Lezanam tom. 2. c. 1. Revocata fuit quoad ea, quæ sunt declarativa & explicativa Concilii Trid. aut ipsi non contraria, N.: id probat Lezana citatus ex Rodriguez, Sorbo, Barbosa, & aliis, & patet ex ipso textu Bullæ Gregorii, ubi sic legitur: Omnibus & quibuscumque in eis (Litteris & Constitutionibus Pii V.) contentis, eam deinceps dispositionem atque decisionem pro subjecta materia futuram esse, quæ sive ex Jure veteri, sive ex Sacris dicti Concilii decretis, sive aliis legitime, antè dictarum Litterarum & Constitutionum editionem erat, & si ipse non emanasset, futura fuisset.

Porro Privilegium, de quo agitur, nullatenus esse Concilii Trid. decretis contrarium, patet 1. Ex ipso Pio V. qui ipsum Tridentini decretum appellat, & dicit se ita statuere illud Insequendo, seu declarando. Patet 2. ex ipso usu & Clemente VIII. de quo infra. Patet 3. tandem & evidenter ex ipso decreto appellato Sess. 22. cap. De observandis, &c. post canones de Sacrificio Missæ, quod est hujus tenoris: Ordinarii locorum Episcopi... moneant etiam eundem populum, ut frequenter ad suas Parochias saltem diebus & majoribus Festis accedant. Hæc duo autem, Moneant fideles, ut frequenter accedant ad suas Parochias,

& eos tamén precepto rigoroso non cogi ad eas frequentandas, opinione conciliantur, nec ullatenus sunt sibi contraria. Simplex enim Episcopi monitio non inducit præceptum. Quod ita verum est, ut ipse Clemens VIII. quamvis formalissimè declaret fideles non teneri audire Missam in sua Parochia, ut modò dicam, valè tamèn, ut Regulares eos moneant & hortentur ad illam frequentandam.

Quòd si forte aliud ejusdem Tridentini decretum obijciatur, nimirum Sess. 24. cap. 4. ubi sic decernitur: Monteatque Parochie sue interesse, ubi id commodè fieri potest, ad audiendum verbum Dei. R. 1. Ibi non agi de Missa, sed de Concione tantum, proindeque objectionem esse impertinentem nostræ quæstioni. R. 2. Non agi de Concione diebus Dominicis & Festis tantum, sed etiam de Concione, quæ habetur tribus diebus Ferialibus infra hebdomadam, tempore Adventus & Quadragesimæ; quod palam evincit ly Teneri non importare strictam obligationem, etiam quoad Concionem in Parochia audiendam, sed tantum decentionem & convenientiam; nemo enim somnavit unquam, fideles strictè teneri audire Conciones diebus Ferialibus. Adde, has particulas, Ubi id commodè fieri potest, distringere decretum a rigorosa obligatione. Sed de hoc alibi.

Tandem rem ineluctabiliter conficit Clemens VIII. qui diu post Gregorium XIII. floruit. Is 12. Decembris 1592. ad sedandas controversias, quæ Parochi Duaceni & alii super hac re Regularibus movebant, ad Episcopum Tricaricensem, tunc suum Nuncium in Belgio, direxit Breve, quod jussit per eundem transmitti ad Archiepiscopum Cameracensem & Episcopum Atebatensem, cum mandato ut illud Duaci, & ubicumquè opus foret, promulgari & observari curarent. In quo Brevis sic loquitur Summus Pontifex: Significatum nobis nuper fuit, non sine gravi animi nostri molestia, in oppido Duacensi Atebatensis Diocesis nonnullos Parochos, maximo cum fidelium scandalo, tum dicendo & concionando, tum omnes reprehensionibus & censurarum Ecclesiasticarum comminationibus perterrendo, Christi Fideles avertere, ne Festis diebus ad Ecclesiam Fratrum Mendicantium, atque Societatis Jesu, pro Missis audiendis accedere possent... ausos fuisse: affirmantes ipsi Fidelibus, tam de Jure, quam de consuetudine prohibitum esse in aliis, quam Parochialibus Ecclesiis, diebus Festis Missas audire, nec illis Quadragesimali ac Paschali tempore alii, præterquam propriis Parochis peccata sua confiteri. Presenti nostro Decreto sancimus licite secularibus Christi Fidelibus universis, libere Missas audire Dominicis & aliis majoribus Festis in Ecclesiis tam FF. Predicatorum, quam aliorum Mendicantium, nec non Collegii Societatis Jesu, juxta illorum privilegia & antiquas consuetudines: & tam dictis FF. Predicatoribus & Presbyteris dicte Societatis, quàm aliis privilegiatis prædicis, quibus id a Sede Apostolica indultum est, idem tamen & ab Ordinario approbatis, peccata sua, etiam Quadragesimali & Paschali, & quovis alio tempore, confiteri licite posse, dummodò tamèn tadem sæculares Christi Fideles Sacramento Eucharistie die Festo Paschali, in propria Parochia ab eorum Parocho sumant. Et ansequenti 23. Decr., idem Clemens VIII. in hujus Brevis confirmationem, aliud ad Episcopum Atebatensem direxit, in quo sic loquitur: Habita desuper matura deliberatione, auditis examinatisque partium præsentionibus, determinationem nostram desuper ad sacrorum Canonum, Oecumenicorumque Conciliorum præscriptum factam, nostro & Apostolica Sedis Nuncio in inferiori Germania commoranti significavimus.

Ex his intelligis, hanc Sedis Apostolicæ determinationem 1. esse datam habita matura deliberatione, auditis, examinatisque partium præsentionibus, adeoque non esse subreptitiam, ut quidam divulgant. 2. esse juxta Regularium Privilegia et antiquas consuetudines, proindeque reverè existere privilegia sarta, & usu antiquo firmata, quibus id Regularibus asseritur. 3. & præcipue esse ad sacrorum Canonum, Oecumenicorumque Conciliorum et Sanctionum præscriptum factam: nihil ergo in prioribus Canonibus, nihil in Conciliis Oecumenicis, & maxime in Trid. quod nostræ assertioni sit contrarium, quin imò quod non sit apprimè consentaneum.

His robar addunt, quæ non ita pridem acceperunt Lovanii. Opus quoddam Dominici M. Dubois Professoris Lovaniensis prohibuerat Rector ejusdem Academiæ, eò maxime quod obligationem Fidelium audiendi Missam in propria Parochia ad solam honestatem revocaret: hanc verò Rectoris prohibitionem Eminentissimus Cardinalis Rospiogliosus, tunc in Belgio Internunciatus, Decreto dato 26. Aprilis 1667. & illic ubiqùè tunc affixo, nullam & irritam Auctoritate Apostolica declaravit, simulque laudata Clementis VIII. Brevia, de novo recusa, ad omnes Belgii Episcopos

copos & Prælatos eadem Apostolica auctoritate direxit.

Hæc sanè decretoria sunt, nec tamen vilificationum finis. Instant enim adversarii, & dicunt, Clementinam illam sanctionem nullam continere clausulam derogatoriam saltem specialem, Decretis missam Pontificum, aut Conciliorum, quibus asseritur obligatio Parochianorum audiendi Missam in propria Parochia. Sed contra 1. Prostris nego, ullum sive Pontificem, sive Concilium universale talem obligationem strictam unquam asseruisse. Constat ex dicitis de Trid. quod maxime appellat adversarii: de aliis verò sive Pontificibus, sive Conciliis Generalibus constat ex dicendis. Insuper Clemens VIII. formalissimè declarat, suam determinationem esse factam, non contra, sed juxta sacrorum Canonum & Oecumenicorum Conciliorum præscriptum: ignoravit fortè SS. Pontifex sacros Canones & Conciliorum sanctiones, aut mentitus est?

Contra 2. dato, quod prostris falsum est, quædam priora Concilia, aut quosdam anteriores Pontifices contrarium assertioni nostræ declarasse; sufficienter foret illis derogatum per clausulam hanc generalem, non obstantibus quibuscumque, quæ est inserta in Constitutione Clementina. 1. quia tunc solum clausula derogatoria specialiter est necessaria, quando Constitutio, cui derogatur, continet clausulas derogatorias ad omnes litteras, vel rescripta in contrarium. Ita Barbosa in c. 18. De Rescriptis. Extra. l. 1. tit. 3. & c. 3. De Capellis Monachorum 16. l. 3. tit. 37. Felinus, Sylvester, & plures alii apud Donatum Tract. 14. de Privileg. q. 1. 2. Quia, quando privilegium non potest suum sortiri effectum, nec aliquid conferre utilitatem, nisi Juri communi derogando, validum palam est, & de facto Juri communi derogat, etiamsi de eo nulla fiat mentio c. In his de Privileg. Extra. l. 5. tit. 33. &c. Si Papa 10. de Privileg. in 6. l. 5. tit. 7. idque maxime, quando constat concedentem privilegium Jus commune non ignorare, ut in casu. Ita etiam Hostiensis tit. de Rescript. §. quas vires, Felinus notat quoad Trid. patet ex c. ultimo Sess. 25. adjuncta annotatione, ubi refertur, Sacram Cardinalium Congregationem sæpius declarasse, non opus esse derogatione speciali in concessionibus Papæ adversus Concilium factis. Vide eandem annotationem. Item Quaranta in Summa. v. Confessor. Barbosa de Officio & potest. Episcop. allegat. 33. n. 24. & plures alii. Tandem & ipse Clemens VIII. & ejus Nuncios Episcopos Tricaricenses, & Internuncios Rospiogliosus judicantur laudatum Breve sufficienter derogare Juri qualicumque, si quod fuisset contrarium, cum illud pluries & diversis temporibus mandaverint executioni.

Prob. 2. Conclusio ex praxi generali fidelium & usu ubique recepto; ita quòd, si extaret aliquod Jus contrarium per hanc generalem consuetudinem censetur abrogatum.

Insuper quæro a venerabilibus Parochis, quam Missam contendant fideles teneri audire in Ecclesia Parochiali? omnes clamant, Parochialem; atqui tamèn neque Jus commune, neque ullum Concilium generale, neque ullum decretum Papale, quotsquot hæc materiam attigerunt, ullatenus loquuntur de Missa Parochiali, sed simpliciter de Missa, sive sit solemnis, sive privata: ergo.

Imò ipsi Parochi factis negant, quòd verbis asserunt; cum enim ultra Missam Solemnem, celebrantur plures Missæ private in Ecclesia Parochiali, non solent occludere fores, maxime in Urbibus, nec arcerè accedentes, quin potius per sonum campanæ convocant, licet sciant plures aliam Missam non audituros. Et certè neque, ut puto, peccati damnabant Parochianum, qui audita privata Missa aderit Vesperis, & Concioni, seu Catechismo, & aliunde curabit Jejuniorum, Festorum, &c. notitiam sibi comparare. Si ergo ad ipsam Missam Parochialem non teneantur, quæ ratio, aut necessitas cogere potest ipsos sub peccato ad audiendam Missam privatam in sua Parochiali Ecclesia potius, quam in aliis?

Solentur Objectiones.

Quod opponi solet ex Trid. penitus jam contritum est; probavi enim, Decretum sess. 24. ubi agitur de Concione esse ad quæstionem nostram impertinens. Et quantum ad Decretum sess. 22. quod mandat Episcopis, ut moneant populum frequenter accedere ad suas Parochias, Respondi 1. Simplicem Episcopi monitionem non importare præceptum. 2. Nullum reverè inesse præceptum, evicini ex Constitutionibus contrariis sequentium Pontificum Pii V. & Clementis VIII. quorum primus ipsum Concilii Decretum se sequi testatur: secundus, suam determinationem esse Concilio consentaneam, asserit. 3. Dato fuisse si-

ve in hoc, sive in aliquo anteriori Concilio, aliquod simile præceptum, per usum contrarium & illas sequentes SS. Pontificum Constitutiones fuisse derogatum, etiam ex ipso Concilio Trid. sess. 25. cap. ultim. Adde, nihil in verbis Decreti de Missa Parochiali.

Obj. 2. Bullam Sixti IV. in cap. Vices in Extravag. communibus de Treuga & Pace l. 1. tit. 9. ubi laudatus Pontifex circa ann. 1478. præcipit, Ne Fratres Mendicantes concionentur, non debere Christianos in suis Parochiis Missam audire, cum Jure cautum sit diebus Dominicis & Festis Parochianos teneri audire Missam in eorum Parochiali Ecclesia; nisi forsàn ex causa honesta ab ipsa Ecclesia se absentarent: ergo. R. 1. Mandato Pontificis Fratres Mendicantes religiosos obedientiam præstare, cum nec concionentur, nec concionari permittant, Parochianos non debere in suis Parochiis Missam audire, quin potius ad id eos hortentur, sed quid inde? Idem præcipit Clemens VIII. qui tamen dissertè asserit Parochianos ad id non teneri. Quantum ad ea, quæ subdit Pontifex, Jure cautum esse Parochianos teneri &c. patet ex subjuncta clausula, Nisi ex honesta causa se absentarent, Sixtum IV. non intelligere strictam obligationem. Non enim dici potest stricta obligatio, a qua eximat quævis causa, quæ passim occurrit, quales sunt major devotio, frequentior celebratio Missarum, Indulgentiæ, Confraternitas, Concio, Benedictio, uno verbo major commoditas; hæ enim sunt indubie causæ honestæ, ut agnoscut S. Antonin. 2. p. Summ. Theol. tit. 9. §. 2. Sylvester verbo Missa 2. q. 5. Panormit., Tabiena, Azorius, & alii plures. Neque certe strictam obligationem agnovit Clemens VIII. cum dixit, suam determinationem contrariam esse juxta Sacrorum Canonum & Sanctionum præscriptum. R. 2. Dato quòd illic continetur strictum præceptum, per Constitutiones contrarias sequentium Pontificum & generalem consuetudinem contrarium foret illi derogatum. Adde iterum, neque illic agi de Missa Parochiali, sed de qualibet Missa, sive Parochiali, sive privata. Huc usquè datæ solutiones adhiberi possunt aliis Conciliorum Decretis, quæ nobis obijciunt adversarii. Ne tamèn quid videamur dissimulare ea summam referam ex clarissimo Pontas citato.

Obj. itaque 3. Concilium Eliberitanum ann. 305. Can. 21. definit, Si quis, in Civitate positus, per tres dies Dominicis ad Ecclesiam non accesserit, pauco tempore abstineat (id est, excommunicetur) ut correptus esse videatur. Concilium Sardinense ann. 347. Can. 14. ubi Præses Osius dicit: Memini, a superiore Concilio (Nicano) fratres nostros constituisse, ut, si quis Laicus in ea, in qua commoratur Civitate, tres Dominicos dies, id est, per tres septimanas, non celebrasset Conventum, communionem privaretur. Concilium Constantinop. ann. 680. Can. 8. sancit: Si quis... Laicus nullam gravioerem habet necessitatem, vel negotium difficile, & a sua Ecclesia absit diutissime, sed in Civitate agens tribus Dominicis in tribus septimanis, una non conventat... segregetur. Concilium Nannetense ann. 658. in cap. Ut Dominicis 2. De Parochiis l. 6. tit. 29. jubet: Ut Dominicus, vel Festis diebus Presbyteri, antequam Missam celebrent, Plebem interrogent, si alterius Parochianus in Ecclesia sit, qui, proprio contempto Parocho, ibi vellet Missam audire; quem si invenerint, statim ab Ecclesia abijciant. R. Præmissis, in quantum opus est, prioribus solutionibus, miror hæc nobis obijci; cum tunc non extarent Ecclesiæ privilegia mendicantium, de quibus est quæstio. Adde, intelligenda esse de absentia & contemptu Parochi, ut explicat Concilium Nannetense; quod nefas esse fateretur. Sunt etiam, qui dicunt hæc Decreta emanasse ad sedandas contentiones inter ipsos Parochos. Cum enim, inquit, tunc temporis solerent fideles illi conferre Decimas & oblationes, cujus Ecclesiam frequentabant, accidebat ex excursionibus fidelium, in quam vellent Ecclesiam, quòd unus Parochus esuriret, & alter abundaret, undè similitates, & dissidia; quibus ut obviaretur, prædicitur cautum est, ut unusquisque suam Parochiam frequentaret.

Instant adversarii ex Conciliis, post Religiosorum Mendicantium institutionem celebratis: Ravennensi ann. 1311. Senonensi 1528. Mediolan. 1561. Aquilensi 1566. Verum neque hæc meminerunt Missæ Parochialis, sed Missæ simpliciter. Urgent: Concilium Turonense ann. 1583. quod primum meminit Missæ Parochialis, subiciens poenis Canonis eos, qui per tres dies Dominicos continuè sequentes abfuerint. Idem statuit Concilium Burdigalense eodem anno. Idem Cæter Clerici Gallicani ann. 1625. ergo. R. 1. Hæc Concilia intelligenda esse de eo, qui proprium Parochum contempserat ad sensum Concilii Nannetensis, quòd appellant SS. Patrum Decreta renovantes, inquit Turon-

nense. *Vetus etiam Decretum denuntiant*, ait Burdigalense. R. 2. Hæc esse Decreta Conciliorum Provincialium, quorum quidam venerabilem auctoritatem in omnibus iure debitis salvam volumus; at non eo extendi, ut ipsi postponatur auctoritas Pontificia, aut quod contra eam prescribere non possit consuetudo generalis contraria. Hinc utramque solutionem adhibet Pontas Concilio Nannatenensi ex S. Antonin. n. 2. summ. tit. 9. §. 2. & ex Innocentio IV. in cit. cap. 21. n. 5. Unde Navarrus in man. c. 21. n. 5. postquam dixit consuetudinem generalem id habere, ut fideles extrâ Ecclesiam Parochialem liberè Missam audiant, sic prosequitur: *Aded quidem, quod secundum Sylvestrum v. Missa 2. q. 5. Episcopus suis subditis contrarium præcipere non potest, quia consuetudo est generalis, & sicut Episcopus non potest tollere, nec restringere Jus commune. cap. Inferior. Dist. 21. Sic nec generalem totius orbis consuetudinem, que vim eandem habet. L. De duobus. ff. De Leg. Et ita Excommunicatio, quam contra eum ferret, esset nulla, secundum sanctum Antoninum & Sylvestrum.* Hæc Navarr.

Et si dicas, in Decreto Concilii Trid. sess. 22. cap. ultimo subdi: *Posse Episcopos auctoritate Apostolica jubere circa hoc opportuna.* Respondet idem Navarr. *ibid. Non videri debere opportunum, ut cum scandalo tot Laborum & Monachorum iam generalis consuetudo, quam etiam in Urbem servari videmus, tollatur: præsertim cum felicis recordationis Pius V. in Bulla motus proprii, lata mense Julio 1567. declaraverit, audientes Missas Festis diebus in Monasteriis Mendicantium satisfacere præcepto.* Hæc iterum Navarr. Ita etiam, sacram Rituum Congreg. declarasse 23. Novembr. 1592. sub his terminis: *Ordinarius non potest per hoc Concilium (Trid.) muletis & panis, etiam in casu notabilis negligentie, aut contumacie, cogere ad audiendam Missam & Sacram Communionem in Ecclesia Parochiali.* Referunt Barbosa citat. alleg. 76. n. 34. Delugo de Eucharist. Disp. 22. Lect. 1. n. 2. Chassaing. c. 7. propos. 1. & alii plures. Et juxta hæc declarationem iudicatum fuisse in Curia Archiepiscopali Neapolitani, testatur Riccius p. 1. decis. 152.

Reponunt, Parochum censeri contemni, cum deserta ejus Ecclesia Parochiani alias Ecclesias frequentant: ergo. R. Nul- lum esse contemptum, cum quis iure sibi concessio utitur. Unde N. Ant. Tunc autem dumtaxat censetur contemptus, si quis nolit audire Missam a Parocho; quia Parochus est in ejus odium, seu vilipendium, aliquo auditurus. Vide, que dicam ex D. Th. infra de obedientia.

Obj. 4. Duplex distinguendum est in hac materia præceptum: unum audiendi Missam, aliud frequentandi Parochiam: satisfit quidem primo, audiendo Missam ubicumque; at non secundo. R. Non dari præceptum frequentandi Parochiam, supposito quod detur, nisi in ordine ad audiendam Missam, ut patet ex omnibus Juribus citatis. Unde hoc ipso quo satisfactum est præcepto audiendi Missam, ruit præceptum frequentandi Parochiam.

Dicere, Privilegia concessa audiendi Missam extrâ Ecclesiam Parochialem intelligenda esse de Missa libera, & non de Missa præcepta, puerile est, quasi verò fideles indigerent Privilegiis, ut audita Missa Parochiali possent plures alias Missas alibi audire. Aliundè Summi Pontifices expressè declarant, per auditionem Missæ in Ecclesia Regularium satisfieri præcepto: ergo intelliguntur de Missa, quæ est in præcepto.

Petes, utrum audiendo Missam in Oratoriis privatis diebus, quibus per indultum prohibetur, satisfiat præcepto? R. Non extare quidem Privilegia pro Oratoriis privatis, qualia extant pro Ecclesiis Mendicantium. Nihilominus respondet Sylvester v. Missa 2. q. 5. *Quod, ubicumque auditur Missa, etiam in domo privata, est satisfactum præcepto, ratione consuetudinis scilicet & toleratæ & rationabilis & præscriptæ; licet malefaciat audienti in domo sua sine rationabili causa.* Intellige his diebus, quibus est prohibitum audire Missam in Oratoriis privatis, ut solent esse Festa solemniora.

ARTICULUS VIII.

Utrum ultra cessationem ab opere servili & auditionem Missæ ad aliquod aliud teneantur fideles diebus Dominicis & Festis?

Dico 1. Conveniens diei Dominicæ & Festorum sanctificationem postulat, ut fideles præter Missam & cessationem ab operibus servilibus, verbum Dei audiant, vespertinis Officiis intersint, actibus fidei, spei, & charitatis, compunctioni cordis & contritioni vacent; atque in pio-

rum lectione, aliisque Religionis operibus sacros illos dies transigant, ita ut merito sint reprehensibiles, qui cessatione ab operibus servilibus & sola Missa contenti reliquum diem agunt in nugis, in deambulationibus, colloquiis profanis, negotiis secularibus, iustis, spectaculis, choreis, venationibus, & quod pejus est, in comotationibus, commensationibus, ebrietatibus, impudiciis, contentationibus, & dissolutionibus. Ita passim Concilia Provincialia Turonense, Mediolan. Aquense, Avenionense, Rhemen- se, Burdigal. Bituricensis, Aquilejense, Narbonense. Item Nicolaus I. in responsis. ad Consulta Bulgar. c. 10. & 11. Can. *Jejunia. Dist. 3. de Consecr. Catechismus Romanus 3. p. in explicatione 3. præcepti §. 25. quorum omnium textus leguntur apud Natal. Alexandrum infra citandum.* Item S. Antonin. part. 2. tit. 9. c. 7. §. 4. Cajet. in summu- la v. *Festum n. 30. Natalis Alexander l. 4. art. 6. Reg. 10. Pontas V. Dimanche cas. 1. & alii, quotquot sunt exactæ disciplinæ assertores.*

Patet etiam, quia præter jam assignata peccata & alia plura, quæ hujusmodi Christiani frequentius committunt diebus Festis, quam aliis (quod sanè summoepè dolendum est) præter scandalum quod inde oritur, maxime in viris gravibus & superioribus, quia eos ceteri imitantur: præter omissionem Vesperarum, quam dico modo venialem; est sanè improbanda perversitas directè agere contra finem Ecclesiæ, & dies, quos ad Dei cultum & propriam salutem promovendam instituit, otio, naniis, & quod pessimum est, vanitatis, crapulæ, luxuriæ, verbo dicam, ipsi demereri consecrare, sicque Festa nostra ludibrio exponere, juxta illud Thren. 1. *Viderunt eam hostes, et deriserunt Sabbatha ejus.*

Dico 2. vi præcepti Ecclesiastici Fideles non teneantur præfatis diebus ad actus interiores fidei, spei, charitatis, aut contritionis; quia 1. hoc præceptum, ut dictum est a. 1. ex D. Th. (*Hic 2. 2. q. 122. a. 4. o.*) est tantum de cultu exteriori. 2. Quia hoc actus nullibi legitur ab Ecclesiæ præcepti his diebus. 3. Sensus & praxis communis est contraria. Utrum verò teneantur vi præcepti naturalis, aut divini positivi? Respondemus negativè, dum de virtutibus Theologicis & de Sacramento Penitentis: ubi ostendimus, nullo fundamento talem obligationem astrui singulis diebus Dominicis & Festis; sed hæc præcepta obligare dumtaxat plures in anno; quoties verò & quando præcisè, vix posse certò determinari.

Dico 3. non obligantur Fideles vi præcepti Ecclesiastici audire concionem diebus Dominicis & Festis, licet ex alio capite possint obligari. Prima pars patet, quia nullibi legitur præceptum strictè ad id obligans, neque sensus communis fidelium id percipit. Secunda pars etiam patet, quia, si concio sit alicui necessaria, sive ad Mysteriorum fidei cognitionem, sive ad mortum compositionem, nec eam alias & alibi habet, tenebitur ex præcepto naturali & divino diebus præfatis habitam audire; quia, qui tenetur ad finem, tenetur ad media huic fini assequendo necessaria.

Dices cum Glossatore summu- Cajetani, & aliis ex cap. 4. jam cit. sess. 24. Concilii Trid. teneantur Episcopi & Parochi diebus Dominicis & Festis solemnioribus annuntiare Fidelibus verbum Dei: ergo tenentur fideles his diebus audire verbum Dei, idque in sua Parochia: correlativa enim debet esse obligatio, siquidem frustrâ tenerentur Parochi concionari, si nullus teneretur eos audire. R. 1. D. Consequens: ergo tenentur Fideles his diebus audire verbum Dei, quatenus id necessarium est ad suam salutem, C. Et in hoc correlativa est obligatio Parochi & Parochiani, ut, quando iste indiget, ille teneretur docere, & iste teneretur audire. Si autem non indigeat, quia vel scit, vel ab alio instruitur & corripitur, nulla est in Parochiano obligatio audiendi; quamvis remaneat in Parochiis obligatio docendi, quia semper presumuntur plures indigentes. Sic v. gr. in Academiis Professores stipendiarii tenentur docere volentes instrui; nullus tamen teneretur eos audire, vel adire. R. 2. Quòd, sicut Parochi in his Trid. verbis non apprehendunt sibi strictum præceptum singularis omnino Dominicis concionandi; quot sunt enim inter timoratos, qui absquè scrupulo aliquoties omittunt; ita nec Parochiani debent imponere.

Inst. Concilium *ibid. Moneatque Episcopus populum diligenter, unumquemque teneri Parochia sua interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei:* ergo. R. ut antè, Concilium loqui de obligatione audiendi concionem, quatenus necessaria est ad scientiam salutis, non quatenus necessaria est ad sanctificationem diei Domini-

ca; cum ibi sermo sit de concionibus, quæ habentur, non solam diebus Dominicis, sed etiam diebus ferialibus tempore Quadragesimæ & Adventus, ut patet ex textu. R. 2. Ex hac ratione & ex his particulis, ubi commode id fieri potest. evidens est Ly teneri non importare strictam obligationem, sed decentiam tantum & convenientiam respectu Fidelium in genere. Respectu autem eorum, quibus necessaria est concio ad salutem, urget præceptum naturale, ut dictum est supra.

Dico 4. Obligantur fideles sub peccato veniali adesse Vesperis diebus Dominicis, & Festis. Ita Pontas v. *Dimanche cas. 2. cum Navarro, & aliis.* Quia sic fert consuetudo Populi Christiani, nec est ullus saltim in his partibus, qui aliquam obligationem audiendi Vesperas his diebus non apprehendat, minorem tamen obligationem audiendi Missam, & idè de hujusmodi omissione se accusant, distinguendo tamen inter omissionem Missæ & Vesperarum. Adde, quòd tempore Vesperarum soleant prohiberi specialiter mercatus, comotationes, lusus, spectacula, &c. quæ omnia indicant aliquam obligationem.

Dico 5. Qui diebus Dominicis & Festis abstinere ab operibus servilibus & audit Missam, negligens aliis Religionis operibus; quamvis sit reprehensibilis, ut dixi in prima conclusionem, satisfacit tamen præcepto de observatione Festorum, sic ut non peccet mortalitèr. Ita S. Antonin. 2. p. t. g. c. 7. §. 4. & post ipsum Natalis Alex. l. 4. a. 6. Reg. 10. Cajet. in summa, v. *Festum n. 30. Pontas v. Dimanche cas. 1. & communiter Summistæ.*

Sequitur ex præced. conclusionibus, eamque probat S. Antonin. cit. ex hoc D. Thomæ principio (1. 2. q. 100. a. 9. ad 2.): *Intentio legislatoris circa aliquod præceptum est de duobus. Primum est, ad quod intendit inducere per præcepta legis, & hoc est virtus. Aliud est, de quo intendit præceptum ferre, & hoc est, quod inducit, vel disponit ad virtutem, scilicet actus virtutis: non enim idem est finis præcepti, & id de quo præceptum datur: sicut neque in aliis rebus idem est finis, & id quod est ad finem.* Post quæ D. Thomæ verba subdit S. Antoninus: *Itaque quævis intendat legislator finem præcepti, ut quid perfectius, non tamen intendit id ponere sub præcepto: quia multitudo, cui datur lex, non est subditi capax perfectionis, sed paulatim; sed intendit ponere sub præcepto id, quod dispositum ad illud, & quod est facilitas ad observandum.* Hæc S. Antonin. in præsentis materia; sicque abstinere ab operibus servilibus & audire Missam cadunt quidem sub præcepto de observatione diei Festi: ad sanctificationem pro opera pia tam interna, quam externa, & his vacare pro majori saltim parte diei, est finis Ecclesiæ præcepti, qui non cadit sub præcepto. Quod sanè Doct. Anglici principium communiter receptum non satis advertunt, qui, agentem quodcumque opus a Divino cultu abstractans, statim violat præceptum ream inclamant; non distinguentes inter rem præceptam & finem præcepti, nec intelligentes cultum Divinum præter cessationem ab opere servili & auditionem Missæ esse dumtaxat finem præcepti, & non rem præceptam, quod est alterum D. Thomæ principium, (*Hic q. 122. a. 4. ad 3.*) de quo dixi a. 1. hujus Dissert. Conclus. 3.

Obj. In variis tum Conciliis, cum Pontificem decretis, & in Catech. Romano, plura alia Pietatis opera præscribi exercenda per totam diem Dominicam, aut Festivam: ergo. R. Plura quidem præscribi, non quæ semper necessariò fieri debeant, sed quæ fieri convenit, ut dixi in prima Conclusionem. Plura enim præscribuntur, quæ certò constat non requiri necessariò ad Festorum observationem, ut sunt pauperum sublevamentum, ægrotantium visitatio, mortuorum consolatio, & similia.

APPENDIX.

Consultatur singularis opinio Francisci Henno.

Singularem opinionem hic defendit R. Pater Franciscus Henno in Decalog. disp. 3. q. 1. Conclus. 8. cum nempe, qui, audita privata Missa, reliquum tempus otiosè tere- ret, peccare mortalitèr, non quidem contra legem Ecclesiasticam, sed contra legem naturalem præcipientem totam diem sanctificare, nisi alias huic obligationi per hebdomadam satisficiat. Et quamvis fateatur hanc suam sententiam non ita multos Casuistas habere Patronos, contendit tamen esse verissimam, & in Conciliis, Paribus, & ratione esse evidenter fundatam. Piam sanè Religiosi viri intentionem laudo; at singulari ejus opinionem probris infundatam & falsam evincam ex ipsius probationum refutatione.

Theol. Billuati. Secunda Secunda.

Profert itaque 1. in probationem suæ sententiæ Concilium Maticon. 2. sub Pelag. II. ubi can. 10. dicitur: *Sint oculi, manusque vestre toto illo die (Dominico) ad Deum expansæ.* Turon. 4. *Die Dominico oportet omnes Christianos in laude Dei & gratiarum actione usque ad vespeream perseverare.* Item Conc. Narbon. Aquense, Avenion. Bituric. Burdigal. ubi ostenditur debere Christianum Hyannis, Canticis, Orationibus, assistendo Divinis Officiis, Vesperis, Concioni, &c. diem Dominicam transigere. R. Hoc argumentum ex omni parte notare. Et 1. Hæc sunt Juris positivi, nec Concilia laudata ulatenus insinuant ea, quæ prescribunt, esse Juris naturalis. 2. His sanctionibus tam adhibeo responsum, quam ipse Henno Conclus. 3. ejusdem quest. adhibet Catechismo Romano eadem prescribentibus, nimirum: *Ibi non tantum referri ea, quæ fieri debent, sed ea, quæ fieri conveniunt.* Cum recenseantur multa, quæ evidens est non requiri necessariò ad diei Dominicæ observationem, ut in Concilio Burdig. pauperum sublevamentum, mortuorum consolatio, &c. Et in Concilio Aquisi distinguitur inter Missam & Vesperas; sic ut de Missa dicatur: *Quod sine gravissimi peccati culpa prætermitti non potest; de Vesperis autem, quòd his interesse maxime convenit.* R. 3. Hoc argumentum, si de obligatione stricta intelligatur, nimis probare, adeoque nihil. Probaret enim, totam omnino & integram diem Dominicam operibus Pietatis esse impendendam; quòd ipse adversarius in Resp. ad objectionem 4. fateatur contra Joenim, *Nec physicè, nec moralitèr posse intelligi: aliàs vix unus Christianus obligationi suæ satisficeret.* Unde putat non condemnandum illum gravis peccati, qui ultra preces mane & vespere recitari solitas, Missam attentè & reverentèr audiret, & postea Vesperis interesset. Sed dicat, velim, quæ auctoritate, aut quo fundamento Doctor privatus Jus naturæ, ut præterdit, de tota & integra die ad unam horam circitèr restringat, qui tam amarè insurgit in eos, qui ad semihoram restringunt? tantumne intercedit intervallum inter horam & semihoram, ut hora dicatur tota dies, & non semihora? sed audiamus rationem: *Quia, inquit, Ecclesiæ Prælati, etiam maxime timorati, non videntur plus exigere.* Ita sanè; sed quia Ecclesiæ Prælati etiam timorati non in ea sunt opinione, quòd Jus naturæ præcipiat totam & integram diem impendi cultui Divino, ut contendit Theologus Franciscanus: aliquo non magis ipsi, quam ipse coherrentia loquerentur.

Profert 2. in probationem suæ sententiæ auctoritates Patrum, & 1. S. Clementis Papæ 1. 2. Constit. Apostolicæ. c. 63. ubi dicitur: *Quam excusationem adferre potest Deo, qui hoc die non convenit ad audiendum salutarum de Resurrectione sermonem... in quo Prophetarum lectio habetur, & Evangelii Prædicatio, & Sacrificium?* Citat insuper Justinum martyrem Apolog. 2. pro Christianis, ubi eadem ferè profert & Nicolaum I. ad consulta Bulgar. c. 10. & 11. R. 1. Constitutiones, quæ dicuntur Apostolicæ, & sub nomine S. Clementis circumferuntur, juxta sanioris criticæ vindices Bellarminum, Baronium, Albaspinxum, &c. esse apocryphas, doctrinam continere sive quoad dogma, sive quoad disciplinam a doctrina Apostolorum & S. Clementis abhorrentem, ideòque & Apostolis & ipsi Clementi suppositas. De quo vide Natalem Alexandr. sæcul. 1. Dissert. 1. R. 2. Dato hanc auctoritatem esse alicujus ponderis, nihil ea importari præter auditionem Missæ, in qua & habebatur sermo, & legebantur Scripturæ, neque enim tunc temporis erant communes Missæ privatæ, sicuti nunc. Quòd si aliquid aliud præterdat Henno, ipsemet, aut solvat, cum in Resp. ad 4. objectionem concedat, omisso sermone satisfieri præcepto naturali per auditionem Missæ & Vesperarum, ut certè dicat, eum non satisfacere, qui sermonem de Resurrectione non audierit. De S. Justino, cum nihil speciale profert, nihil speciale respondeo. Ad Nicolaum I. respondeo, ut supra Conciliis respondi.

Profert 3. momenta a ratione 1. *In rei veritate non potest dici diem aliquam sanctificare, qui ad summum quadragesimam octavam illius partem sanctificat:* ergo 2. *Ille dicitur sanctificari in Legge, quæ Divino cultui applicatur, inquit S. Thomas 2. 2. q. 122. a. 4. Sed qui totam diem Dominicam impendit otio, nugis, &c. excepta parte minima, non applicat illum cultui Divino:* ergo 3. *Non censetur ille natalem Regis celebrare, qui data recreationi semihora, reliquum diei tempus insumeret in studiis, negotiis, &c.* ergo. R. 1. Has omnes rationes niti falso supposito, nimirum totam & integram diem, aut saltim majorem ejus partem ex præcepto naturali esse cultui Divino positivo impendendam. Falsum est, inquam, quàm maxime hoc suppositum, quòd nec levitèr probat

